



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 149. Dux Burgundiæ Pontificis fautor.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

timo præstarent Pontifici, vulnusque, quod Sæcul. XV.
curare venissent, periculosius redderent. A C. 1418.

Postquam vero Carolus VI. Rex intel-
lexisset, hanc electionem juxta SS. Ca-
nonum præscripta fuisse institutam, Mar-
tinum ut legitimum Pontificem coluit,
atque a toto suo Regno eundem agno-
sci jussit; nihilo secius fortiter institit
declarationi, ineunte mense Aprili a se
datæ, qua Ecclesiam Gallicanam in suis
libertatibus conservari, econtra vero An-
natas, reservationes, subsidia, aliaque e-
jusmodi onera admodum odiosa aboleri,
contenderat. Verum nequicquam ad-
hibitis, quibus suam declarationem tue-
batur, mediis, illa haud diu substitit.

§. CXLIX.

Dux Burgundiæ Pontificis fautor.

Burgundus enim, cujus nutui non mo-
do Parisiensis civitas, regisque ani-
mus ancillabatur, sed etiam summa re-
rum ad genii sui imperium, ac privati
commodi studium administrabatur, alte-
ratam declarationem anno nondum evo-
luto revocari jussit, eo consilio, ut Pon-
tificem, & Cardinales sibi devinciret, quo-
rum favorem in causa Joannis Parvi
manifeste expertus est. Quocirca omni
tempore, quo bellum cum Anglis fla-
grabat, Pontificum auctoritas in confe-

Secul. XV. rendis Galliaë beneficiis eadem erat, qua-
A.C. 1419. lem ante edicti promulgationem Anno
 Salvatoris millesimo quadringentesimo
 sexto exercebant.

§. CL.

Mortuo Wenceslao Imperator Bohemice Rex electus; Zischa electionis adversarius.

*Cochl. Hist.
Bohem.*

Wenceslao Anno Domini quadringentesimo decimo septimo supra millesimum e vivis erepto, Bohemice regnum jure hæreditario Sigismundo Cæsari obtigit. Zischa vero Huffitarum Princeps, ac supremus eorum Bellidux ad Bohemice Proceres ab Imperatoris electione provocavit, etsi cum omnibus solemnitatibus peracta fuisset. Præterea Sigismundum omnino sceptri indignum esse proclamabat, eo quod supplicium Joannis Huffi, & Hieronymi Pragensis approbasset; Ergo Sectatorum suorum turmam convocat, Regni comitia agendi prætextu usus, atque ab eis sibi in mandatis dari postulat, ut bellum Sigismundo nunciaret, quo impetrato copias suas in bina dividit agmina, quorum illud adversus arcem Vissegrad nullo ferme negotio occupatam, alterum vero contra Pilsenæ oppidum educit, ubi cives in diversa studia abeuntes, atque aliunde præsidario mili-